

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.  
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz  
Naumann, Tobias Gottfr.**

**Ienae, 1712**

**VD18 11426357-001**

**§. X.**

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](#)

quicquam decedat, nec misericordia labefactetur, *Ephes. III. 10.* Diuinam bonitatem, & potentiam nobis conspiciendam praebet, *I. Cor. I. 24.* Veritas DEI immota omnium maxime conspicua redditur, & qui alii sunt eiusmodi effectus insignes, qui non possunt non Deo euādia esse, magis, quam homini odor fragrantissimus.

§. X. Non vero obstat, quod multiplicem effectum hunc exoptatum euangelii praeconium, non semper assequatur. Experientia enim docet, non omnes euangeliō obedire, vt illud recipient, per illud vocantem audiant, trahentem sequantur. Culpa non residet in euangeliō, sed in iis qui percunt. Obiectum quidem euangelii sunt in vniuersum omnes homines, quos Deus serio & efficaciter omnes saluandos vult; sed quia multi ex vniuerso hominum coetu illud pessime reiiciunt, hinc fit, vt huius generis hominibus fiat odor mortis ad mortem; cum e contrario caeteris sit odor vitae ad vitam. Scilicet sicut aromata pro diuersarum naturarum dispositione, saepenumero diuersos effectus exferunt; sua-

suauissime fragrantia, quae his oblectationi  
 ac confortationi sunt, aliis animi deliquium,  
 taedium & incommoda varia adferunt; ita  
 quoque fragrantissimus euangelii odor piis  
 est odor vitae ad vitam, impiis vero & con-  
 temtoribus odor mortis, ad mortem tum  
 spiritualem, tum aeternam. Neque hoc est  
 ignominiosum Christo, sed utrumque glorio-  
 sum, qui non tantum est constitutus creden-  
 tium Saluator, sed etiam incredulorum iu-  
 dex, cui Pater omne iudicium secundum hu-  
 manam naturam commisit. *Iob. V. 22.* Eo-  
 dem discrimine Deus immutabilis, piis dici-  
 tur lux, vita & gaudium, impiis vero ignis  
 consumens. Et Christus fidelibus suis est  
 sempiterna salutis petra, ecclesiae suae lapis  
 angularis, contemtoribus autem, lapis offend-  
 sionis & petra scandali. *Ef. IIX-14. I. Petr. II-7.*  
*Matth. XXI. 42.* Exemplum hac de re egre-  
 gium in ipsis Christi oratione nobis fistitur.  
*Iob. VI. com. 60.* Erant, qui posteaquam  
 Christi sermonem audiuerant, non ferre illum  
 volebant, ideoque a Christo secedebant, di-  
 centes, συληγός ἐστιν ὁ θεός ὁ λόγος. Τίς δύνα-  
 ται

*ταὶ αὐτῷ ἀνέσειν.* Petri contra qui eandem percepérat orationem, confessio, longe aliter sonat *com. 68. Domine ad quem abibimus? verba vitae aeternae habes.* Ita huic Christi sermo ut odor vitae, suavis erat & salutaris.

§. XI. Euangelium autem Christi, quod bonus odor audit, non natura innotuit, sed Deus ipse reuelauit odorem cognitionis, qui alias absconditus fuisset in aeternum. Nostro tempore Deus Opt. Max. ordinarie hunc in finem constituit ministros ecclesiae, Christi & apostolorum successores, quorum ministerio haec Christi fragrantia per orbem terrarum spargitur. Horum enim functiones circa verbi diuini praedicationem, nec non sacramentorum administrationem, versantur. Quare ministerium horum εὐαγγίας quoque nomine venire potest, & dignitatis, qua gaudet, documentum praebere. Originem nempe indicat, qui Christus ipse, finem, qui DEI gloria, & hominum salus. Quod pluribus stabiliri posset, si, quae occurrunt in sacra scriptura denominationes euolueremus; sed paucis id praestare sufficiat. Vocatur hic status,